11

S. IGNATIO LOYOLÆ

SOC. JESU INSTITUTORI

THESES THEOLOGICAS ET POLEMICAS

IN COLLEGIO ROMANO SOC. JESU DISPUTANDAS

DE USU LUMINIS NATURALIS

In asserenda Unitate Dei contra Manichæos, & Trinitate aliisque Mysteriis contra Socinianos

SELECTAS ALIAS THESES

DE PRÆDESTINATIONE ET GRATIA

DE ECCLESIÆ NOTIS ET SACRAMENTIS

JOANNES JACOBUS DE LA PEGNA

D. D. D.

ANNO MDCCLVII. DIE MENSE

ROMÆ, ex Typographia Generosi Salomoni.

SUPERIORUM PERMISSU.

S. IGNATIO LOYOLÆ
SE SUAMQUE DISPUTATIONEM
JO. JACOBUS DE LA PEGNA
D. D. D.

QUI pecuniæ, aut honorum, aut alia hujuſmodi cupiditate ducuntur, ſolent ad diſputationes ſuas adducere, iiſque præficere tanquam agonothetam, aliquem hominem pecunioſum, florentem honoribus, iis denique rebus, quarum ipſi deſiderio tenentur, abundantem. Quid ego,

qui horum, quæ vulgo magna putantur, nihil admiror, cupio nihil; cui etiam, ſi qua ſuppetunt fortunæ bona, gravia ſunt ac moleſta, nec eſt quidquam longius, quàm ut abjiciam omnia, vel potius commutem cum aliis multo majoribus, multoque plus ſtabilitatis habentibus bonis, quæ neque fors adimere, nec vis eripere, nec ipſa æternitas delere poſſit? qui ita ſim animatus, debeone aliquem deligere ex eodem illo numero, cui oſtentare me poſſim, cujuſque gratiam hoc qualicumque officii genere aucuper? Ego vero delegi alium multo præſtantiorem, multoque meis rationibus plus, quam iſtorum quempiam, accommodatum. Tua, tua inquam, mihi benevolentia, tuoque patrocinio eſt opus, IGNATI optime ac beatiſſime! TE mihi hodie facilem ac propitium adeſſe, TE huic diſputationi meæ præeſſe volo. Nam TE hiſce bonis, quibus unis capior atque delector, video & ipſum abundare, & augere ceteros, quoſcumque recipis in iſtam a TE conditam ſanctiſſimiſque legibus fundatam Societatem. in qua ſi mihi aliquem aliquando locum eſſe patiere, magnum me atque immortalem quendam hujus officii fructum cepiſſe arbitrabor, ſummamque facultatem adeptum

eſſe

esse optimis me moribus atque omni cæle-
stium bonorum copia locupletandi.

Equidem non ignoro, multas religiosorum hominum familias patere sanctioris vitæ cupidis adolescentibus, quasi totidem palæstras veræ perfectæque virtutis. Sed tua hæc me cepit, suoque amore inflammat Societas: quam ut amem, faciunt cum alia multa, tum vero tuæ illæ, IGNATI, tam multæ tamque admirandæ virtutes, tuæ res gestæ tam magnæ, tam variæ, tam salutares hominibus, tua denique illa excellens ac singularis virtutum & rerum gestarum omnium moderatrix, atque ipsius præcipue Societatis, tamquam præclarissimi magnificentissimique operis, machinatrix perfectrixque prudentia. Sic enim apud me statui, mihique penitus persuasi; quam tu vivendi formam, tantus ac talis vir, excogitaveris, protuleris, ornaris tamdiu ac perpoliveris, necessario esse perfectam, suoque in genere omnibus partibus atque numeris absolutam. Atque hoc idem fuisse video de TE tuisque rebus judicium hominum prudentissimorum atque omni laudis genere ornatissimorum. Mitto ceteros magno numero: unius Marcelli Cervinii, tum Cardinalis, ac postea summi Pontificis, præcla-

riſſimam de te vocem commemorabo. Is apud aliquot Patres Societatis, ſermone injecto de miſera illorum temporum conditione, deque tot malis, quibus Chriſtiana reſpublica conflictabatur, nullum ſe dixit præſentius remedium videre, quam ſi aditus in Societatem honoribus patefieret, atque ex illa tanta piorum doctorumque virorum copia quamplurimi deligerentur, qui Epiſcopi fierent. Patres pro ſe quiſque multa dicere, atque afferre argumenta, cur ea res nec privatim Societati, nec communiter Eccleſiæ utilis futura videretur. Marcellus nihil moveri, ac dicere, ſe illorum laudare modeſtiam, conſilium non approbare. Tum quidam, HOC, inquit, QUOD NOBIS, IDEM VIDETUR IGNATIO. Hic Marcellus, Sublata eſt, inquit, omnis controverſia: non enim dubitandum eſt, quin id optimum factu ſit, quod maxime probat IGNATIUS. Tantum videlicet TIBI tribuebat, ut unius auctoritatem pluris faceret, quam omnia omnium argumenta. Nec immerito: quæ enim TU ſtatuiſſes, eorum non dubitabat auctorem eſſe Deum, cujus peculiari nutu ac numine tua facta, dicta, cogitata omnia regebantur. Nec vero hoc tempore aliter de TE ſentiunt, qui leges a TE ſcriptas perlegere, atque illarum cautias & rationes

perſpi-

perſpicere potuerunt. Ita enim omnia perſcripta eſſe ajunt, tam apte, tam provide, tam ſcienter, ut luce clarius appareat, Te, qui illa ſcripſeris, miram quandam in eo genere a patre luminum facultatem ac ſcientiam fuiſſe conſecutum. Hæc illi, qui tuas leges ſanctioneſque cognoverunt.

Ego, cui eas legere nondum contigit, tamen intelligo cujuſmodi ſint ex vita eorum, qui illis utuntur: quorum dicta factaque omnia ubi conſidero, tam manifeſto mihi perſpicere videor, quam ea, quæ oculis cernuntur, non humano conſilio, ſed divina ſapientia effectam conformatamque eſſe normam, ad quam diriguntur. Dies me antea quam oratio deficeret, ſi velim commemorare omnia, quæ mihi ſæpenumero in illos intuenti ſeſe offerunt atque incurrunt in oculos, indicia virtutis minime mediocris, minimeque vulgaris.

Duo tamen prætereunda non ſunt, quæ ſæpe ſoleo ipſe in ſermonibus commemorare, quæ eadem ſæpe audivi alios e ſodalibus meis non ſine magna laude atque admiratione commemorantes. Alterum eſt in familiaribus colloquiis quædam ex chriſtiana caritate profecta moderatio; qua fit, ut de hominibus non bene de ſe meri-

meritis bene loquantur, eorum, a quibus læsi sint ac lædantur, neminem lædant, nullius laudi quidquam detrahant, famæ omnium consultum esse velint. Ipsi nos illorum auditores ac discipuli, nescio quo vel cognoscendi vel tentandi potius ac lacessendi studio elati, non dubitamus interdum coram ipsis facere mentionem rerum, quæ contra Societatem dicantur, aut scribantur, eosque multa rogitando pene cogimus, ut dicant aliquid, sibique non desint. Dabo hoc testimonium viris optimis ac modestissimis, vel ipsi potius veritati: numquam ego quemquam illorum animadverti mittere vocem aliquam indicem doloris sui, aut dicere aliquid, quod ex iracundia magis, quam ex christiana caritate profectum videretur. Plerique nihil respondent, sermonemque alio transferunt: aliqui purgare solent eos ipsos, a quibus arguuntur, vel certe nihil dicere, quod ipsi adversarii, si adessent, possent non probare. Qui sint in colloquiis tam moderati ac tam cauti ne quem lædant, eos facile intelligo, etiam cum scribunt, atque edunt in lucem aliquid, quod ad suam suorumve defensionem pertineat, non iracundia vel odio cujusquam incitatos id facere; sed eodem videlicet animo, quo Te olim, Ignati,

memo-

memoriæ proditum est criminationes falso conjectas contra tuorum mores atque doctrinam publico judicio confutasse; ejusque sententiæ, qua fuerant ab omni non modo culpa sed etiam suspicione culpæ liberati verbis amplissimis, exempla publice confici curasse, eaque primum Romæ vulgari, deinde, quocumque malevolorum voces pervenerant, in alias civitates gentesque disseminari. Hoc enim, opinor, & Tu sentiebas, & illi sentiunt: eorum, qui inter homines versentur, nec sibi tantum quieto, sed etiam ceteris actuoso vitæ genere serviant, rationes niti non magis veritate, quam fama: quæ si desit, inane fore omne studium alienæ salutis procurandæ; cum nemo sit futurus, qui illis ducibus uti velit, quos deerasse ipsos, ac devios ferri existimet. Quamobrem cum illa, quam dixi, loquendi moderatio, tum hoc præterea scribendi consilium ex uno eodemque fonte ortum habere deprehenditur, ex caritate adversus proximos.

Bartolus Vitæ S. Ignatii l. I.

Quæ quidem quanta sit in tuis hominibus, declarat studium quoddam incredibile, atque insatiabilis quædam cupiditas omnium, si possint, opportune, importune, ad summum virtutis culmen adducendorum, ac pene dixi protrudendo-

dendorum (quod quidem erat alterum duorum, quæ mihi silentio prætereunda non esse confirmabam). Deus immortalis! ut illi, homines omnium ætatum atque ordinum, ut nos præcipue, qui in eorum disciplinam a parentibus traditi fuimus, non modo revocant atque absterrent ab omni improbitate, sed ne probos quidem probitate illa mediocri esse patiuntur! ut monent! ut hortantur! ut orant atque obsecrant, majorem ut ad Dei gloriam omnia referamus, quæque optima, tutissima, Deo accepissima esse intelligimus, strenue persequamur! Agitant illi quidem in Scholis librisque suis controversias de opinione probabili vel probabiliori, tuta vel tutiori: quærunt quid liceat fasque sit hoc in genere. Non idem omnibus videtur. plerique in vera solidaque probabilitate acquiescunt. negant enim, necesse esse parere iis legibus, quas certo latas esse, nec idonea ratiocinatio suadeat, nec sapientes viri arbitrentur. nolunt, mentes hominum incertis religionum & officiorum vinculis implicari, cogique ad ferendum onus, quod aut a Deo aut ab hominibus Dei administris impositum esse nondum constet. Hæc, inquam, illi, si quando statuunt quid sine crimine facere liceat,

ceat. Iidem quoties monent ac præſcribunt quid ſit faciendum; quod optimum factu ſit, id dicunt fieri oportere: parvi atque anguſti eſſe animi prope ipſos recti pravique limites conſiſtere; inſpicere in ſolas legum tabulas; quærere quem ad finem ſine ſcelere ac flagitio progredi poſſis: qui recte facere velit ac fortiter, huic eſſe ab omni non modo culpa, ſed etiam periculo culpæ quam poſſit longiſſime refugiendum: virtutem ſtudioſiſſime conſtantiſſimeque proſequendam: ſuam denique ſalutem divinis cum juſſis faciendis, tum etiam conſiliis non negligendis in tuto collocandam. Hæc illi aſſidue vitæ præcepta nobis, quos erudiunt, hæc eadem ceteris, quibuſcum aut apud quos loquuntur, tradunt atque inculcant.

Nec mihi aliud agere videntur tam multi eorum, qui feſtis præſertim diebus aut peccatorum confeſſiones excipiunt, aut concionantur tot locis, in templis, in ſacellis, in triviis, in noſocomiis, in cuſtodiis publicis, quoſque ego ipſe numeravi interdum ad ſexagenos, ad ſeptuagenos, aut etiam ad octogenos: hi omnes, inquam, nihil aliud agunt, niſi ut homines avocent a vitiis atque ad omnem laudem honeſtatemque perducant, id eſt ut perſuadeant

omni-

omnibus rem non modo tutam, ſed etiam tutiorem, atque tutiſſimam, non modo probabilem, ſed etiam probabiliorem, ac plane omnibus, quicumque ſapiunt, probatiſſimam. Itaque illi mihi non tam oppugnatores vulgaris illius tutioriſmi ac probabilioriſmi, quam melioris cujuſdam multoque utilioris tutioriſmi ac probabilioriſmi auctores propugnatoreſque acerrimi eſſe videntur. quorum auctoritatem ſi omnes ſequerentur, atque hoc modo probabilioriſtæ ac tutioriſtæ eſſe vellent, jaceret profecto omnis improbitas, virtutes contra bonique mores dominarentur.

Sed jam deſino: ſentio enim me de Te, Ignati, tuiſque loquentem, quadam ſuavitate amoris provectum, longiorem in dicendo fuiſſe, quam initio conſtitueram. Reſtat, ut Te breviter orem atque obteſter, me ut clientem ac ſupplicem tuum non deſpicias, ſed tua benignitate ac benevolentia ſic complectare, ut mihi non ſolum hodie diſputanti Patronus ad breve tempus, ſed mox etiam adſcripto in tuam familiam Parens perpetuo eſſe velis.

§. I.